

possit et manere in rerum natura; et ideo necesse est distinguere duas actiones et dependentias, aliam, qua conservatur existentia animæ, et aliam, qua conservatur unio, quandoquidem cessante una, ex natura rei manet alia. Neque enim existimandum est, quamdiu anima est in corpore, unica et eadem actione conservari existentiam et unionem animæ, in morte autem hominis cessare actionem illam, et inchoari aliam, qua substantia animæ in suo esse sine unione conservatur; nam si hoc verum esset, nulla posset afferri specialis ratio, propter quam debita esset animæ rationali conservatio ejus post separationem a corpore, potius quam aliis formis, quandoquidem non aliter ponitur conservari in corpore, quam aliæ formæ, scilicet per unicam actionem et dependentiam, quæ esse non potest, nec conservari sine corpore; actio enim illa, per quam fit ut conservetur unio, essentialiter pendet a corpore; ergo, si per illam actionem conservaretur existentia animæ, conservaretur per actionem dependentem a corpore; ergo quamdiu esset in corpore, non aliter conservaretur, quam aliæ formæ; ergo destructo corpore, nulla esset ratio, cur magis conservaretur, quam aliæ formæ. Igitur ex independentia, quam existentia animæ habet ab unione ad corpus, recte colligitur, etiam eo tempore, quo est corpori unita, per aliam actionem conservari existentem, distinctam ab ea, qua conservatur unita; secus vero est in qualitate gratiæ. Nam in sua existentia ita pendet ab unione, ut naturaliter et ex vi illius actionis, qua nunc conservatur in suo esse, non possit manere existens ablata unione, et ideo nulla est necessitas fingendi ibi duas actiones, alteram qua simpliciter conservetur existentia gratiæ, alteram qua conservetur unita. Nam ipsamet existentia non conservatur sine unione. Alioquin si illæ essent duæ actiones distinctæ, nulla posset reddi naturalis ratio, ob quam dissoluta unione, et cessante actione, per quam unio conservabatur, non posset manere gratia existens, et durare actio, per quam ipsa gratia conservabatur secundum se. Nam hæc actio, cum non attingat unionem, ex natura sua non pendet a subjecto; actio enim circa subjectum nec intelligi potest sine unione, saltem in fieri. Ergo ablato subjecto et unione ad illud, posset actio illa et terminus ejus ex natura sua durare. Non enim alia ratione permanet anima corpore destructo; ergo non sunt duæ actiones, sed una, qua conservatur gratia et qua conservatur unita.

7. Tertio, ex his colligitur alia differentia in ipso fieri, quæ præcedentem confirmat et declarat; videlicet, quod cum anima fit, alia est actio, per quam in suo esse producitur, et alia, per quam corpori unitur. Nam sicut habet esse independens a corpore, ita etiam necesse est, ut fiat et recipiat esse per actionem independentem a corpore, quæ non potest esse actio eductiva, neque etiam unitiva animæ ad corpus. Nam hujusmodi actio a corpore necessario pendet. Est ergo actio distincta atque vera et propria creatio, cum fiat sine concursu materiæ. At vero in productione gratiæ non est necessaria actio, quæ prius terminetur ad existentiam gratiæ, quam ad unionem ejus. Quia sicut gratia non habet esse independens a subjecto, ita neque ex natura sua postulat, ut recipiat illud esse per actionem independentem a subjecto; unaquæque enim res fit eo modo, quo postulat esse ipsius; si ergo ipsum esse non est independens, ergo nec ipsum fieri, et similiter, si conservatio non est per actionem independentem a subjecto, ergo neque productio; nam eadem actio, per quam res fit, si duret aliquo tempore, habet rationem conservationis. Igitur ex illo exemplo animæ rationalis non potest colligi, prius gratiam creari, quam uniri, sed potius contrarium, propter diversam naturam utriusque formæ.

8. *Gratia non quia perfectissima est, propterea postulat, ut altera actione creetur, et altera uniatur.* — Secundo principaliter ostenditur contra hanc sententiam, gratiam ex sua speciali ratione, nimirum, quia est supernaturalis ac perfectissima qualitas, non postulare ut alia actione creetur, et alia uniatur subjecto. Primo quidem, quia actus fidei, charitatis et visionis beatificæ, supernaturales qualitates sunt in substantia et entitate sua, sicut ipsa gratia et alii habitus infusi, et tamen hi actus effective fiunt a potentiis vitalibus, non solum quoad unionem, sed etiam quoad entitatem ipsorum; unde non prius natura creantur a solo Deo, quam fiant ab ipsis potentiis, quia saltem ex natura rei repugnat actibus vitalibus ut aliter fiant. Et hoc evidentius ostendi potest in actibus liberis; nam si a solo Deo prius natura efficerentur in nobis, non posset intelligi libertas nostra circa tales actus. Quia, vel posita illa Dei efficientia, esset in potestate hominis non influere in illum actum, neque illum sibi unire: et hoc est impossibile; alias maneret actus vitalis productus a solo Deo in potentia, ipsa

nihil operante, et consequenter neque amante, neque intelligente, neque aliquem effectum vitalem recipiente vel operante, quod est impossibile. Vel posita Dei efficientia, necessario voluntas influit in illum actum: et sic nulla relinquatur libertas, nec potest esse verum, quod Concil. Trident., sess. 6, definit, scilicet, stante quacumque Dei motione præveniente et antecedente consensum voluntatis, adhuc esse in potestate ejus efficere vel non efficere actum. Probatur sequela, quia juxta contrariam sententiam, priusquam Deus creet in voluntate nostra actum infusum charitatis, non potest voluntas illum elicere, neque aliquid aliud efficere, ex quo necessario sequatur infusio vel creatio talis actus; postquam vero Deus se solo infundit et creat in voluntate talem actum, non est in potestate voluntatis non habere illum et influere eo modo quo potest; ergo in his actibus non potest ulla ratio affirmari, prius natura fieri aut creari a solo Deo, quam fiant a voluntate et uniantur illi; ergo similiter non est necessarium, gratiam prius creari, quam uniri.

9. Dices: gratiam esse perfectiorem qualitatem. Sed hoc, præterquam quod incertum est (præsertim si comparatio fiat cum visione beatifica), nihil in præsentia refert. Quia commune est omnibus his qualitibus, quod sint supra capacitatem naturalem subjecti; ergo, si hoc non obstante, possunt aliquæ earum fieri per educationem et non per creationem, eadem ratione tam gratia, quam quælibet alia qualitas supernaturalis poterit in anima fieri absque prævia creatione. Item ratio et imperfectio, unde hoc nascitur, non minus convenit gratiæ, quam aliis qualitibus supernaturalibus, scilicet esse formam accidentalem, natura sua pendentem a subjecto tam in fieri, quam in esse; nam ex hac imperfectio nascitur, ut quando gratia fit modo connaturali, non fiat sine concursu subjecti. Ex quo ulterius argumentor contra Sotum, quod si sacramenta possunt effective attingere unionem gratiæ cum anima, possint etiam attingere primam gratiæ effectioem. Primo quidem quia sicut gratia est forma spiritualis et supernaturalis, ita et unio gratiæ ad animam; et sicut unio illa fit in anima tanquam in subjecto, a quo pendet in fieri et conservari, ita eodem modo gratia ipsa fit in anima, tanquam in subjecto, a quo pendet in fieri et conservari; ergo est eadem utriusque ratio, quia non magis existentia gratiæ, quam unio fit per creationem. Unde potest alia formari ratio.

Nam hæc unio gratiæ ad animam talis est, ut per illam pendeat gratia ab anima tanquam a causa materiali, non solum in unione et informatione, sed etiam in existentia sua; in quo differt multum inter unionem hanc gratiæ et unionem animæ ad corpus; ergo si sacramenta possunt attingere illam unionem gratiæ ad animam, possunt etiam attingere ipsum esse gratiæ. Quia illud esse communicatur ei in ipsa unione, et quodammodo per illam, ex parte materialis causæ, ante cujus concursum nulla est effectio gratiæ, cum ostensum sit non creari.

10. *Forma accidentalis non prius creatur et posterius unitur.* — Tertio principaliter probandum est contra prædictam sententiam, gratiam ob generalem rationem formæ creatæ non fieri prius natura per creationem a solo Deo, ut posterius natura possit per sacramenta animæ uniri. Nam si hoc conveniret gratiæ ex hoc præcise, quod forma creata est, conveniret omni formæ creatæ et omni accidenti; consequens autem est valde absurdum. Alias sequitur primo, non esse proprium animæ rationalis, ut prius natura fiat per creationem et deinde uniatur subjecto, sed hoc commune esse omnibus animabus brutorum, imo omnibus formis materialibus, et accidentibus omnibus, atque ita nulla forma fieret per educationem de potentia materiæ, sed per creationem; consequens autem est contra recepta philosophiæ principia, imo contra communem Ecclesiæ doctrinam, quæ sentit aliquid proprium in hoc habere rationalem animam. Et ratione convinci potest ex dictis in primo puncto contra hanc sententiam. Sequela probatur, quia si omnis forma prius natura fit a solo Deo, quam ab agente creato uniatur materiæ, inquiri an illa actio Dei fiat cum materiali concursu subjecti, necne. Primum dici non potest, quia materia non habet concursum, nisi circa formam sibi unitam seu quæ sibi unitur, nec forma pendet a materia in fieri, vel in facto esse, nisi quatenus illi unitur in fieri, vel in facto esse; si ergo per illam actionem Dei forma ita fit, ut non uniatur materiæ, non potest illa actio, aut terminus ejus, ut sic, pendere a materia, nec materia potest ibi habere aliquem materialem concursum. Propter hanc enim causam nullum habet in productione animæ rationalis, quia illa actio, per quam fit anima, secundum se præscindit ab unione ad materiam. Si vero dicatur secundum, necesse est dicere illam actionem esse vere ac proprie creatio-

nem, tum quia non esteductio de potentia materiae; ergo non est actio ex subjecto; ergo ex nihilo; ergo creatio; tum etiam, quia illa est actio ex sola efficacia causae efficientis sine concursu causae materialis; ergo est creatio.

11. Unde argumentor secundo, nam ex hoc principio sequitur, quod, sicut sacramenta dicuntur (juxta hanc opinionem) non efficere gratiam, sed unionem gratiae cum anima, ita dicenda sunt omnia agentia naturalia non efficere formas, nec qualitates, educendo illas de non esse ad esse, sed tantum unire illas subjectis suis; patet sequela, quia supponuntur factae prius natura a Deo; ergo non possunt iterum fieri a causis secundis, sed tantum uniri; majus enim miraculum esset, rem jam factam iterum facere, quam omnino ab actione cessare. Tertio, hinc ulterius sequitur, tales formas natura sua non pendere a subjecto in existentia sua, sed solum in unione, sicut docet fides de anima rationali; probatur sequela argumento supra facto, quia hujusmodi formae fiunt prius natura per actionem independentem a subjecto; ergo per illam, ut sic, recipiunt esse independentem a subjecto. Rursus quamdiu sunt in subjecto, per hanc actionem permanentem continuatam conservantur in esse, quod in principio acquisierunt; ergo ablata unione ad subjectum, per eandem actionem a subjecto independentem conservabuntur in esse. Nam haec actio non est cur necessario tollatur, ablata unione, quae est quid posterius, sicut philosophamur in anima rationali. Dici tamen potest, quod licet unio harum formarum sit posterior, quam existentia earum, quae fit per creationem, tamen potest esse conditio necessaria, sine qua non debetur his formis existentia et conservatio; hoc enim modo interdum potest id, quod prius est, pendere a posteriori; atque in hoc potest constitui differentia inter animam rationalem et alias formas; illa enim, quia spiritualis et substantialis est, non requirit illam conditionem seu unionem ad corpus, ut conservetur in esse. Sed haec responsio, licet ex parte verum dicat, tamen et petit principium, et non potest sufficientem rationem reddere eorum quae dicit, hoc enim inquirimus, cur unio ad subjectum sit conditio necessaria, ut hujusmodi formae conserventur in esse. Sane non potest alia ratio philosophica reddi, nisi quia necesse est, ut subjectum in suo genere causae materialis concurrat, non tantum ad unionem, sed etiam ad ipsum esse harum formarum, et conse-

quenter ad fieri et conservari ipsius esse; unde fit, ut hujusmodi formae secundum naturam suam non possint prius natura fieri per creationem, cum non possint fieri sine concursu subjecti seu materiae. Quarto, ex praedicto modo explicandi hanc sententiam sequitur, non solum formam, sed etiam unionem formae ad subjectum, prius natura fieri a solo Deo, quam a causa secunda, quod est aperte falsum; sequela probatur, quia sicut forma est res creata, quae a solo Deo habet dependentiam essentialem, ita unio formae ad subjectum est res vel modus creatus, qui etiam a solo Deo habet essentialem dependentiam; unde cessante actione causae secundae, non sola forma, sed etiam ipsa unio conservatur a solo Deo; et e contrario a principio potuisset fieri unio a solo Deo sine causa secunda, quamvis non posset fieri a causa secunda sine Deo; ergo est aequalis ratio essentialis dependentiae a Deo in unione et in existentia formae; ergo si propter hanc causam prius natura fit forma a solo Deo, quam a causa secunda, etiam unio prius natura fiet a solo Deo. Quod autem hoc consequens falsum et absurdum sit, patet, quia nihil relinquitur, quod possit fieri a causa secunda, et in praesenti materia nihil est quod possit facere sacramentum. Nam si prius Deus gratiam creat et prius se solo gratiam unit, quid facient sacramenta? Et idem quaeri potest de igne vel quolibet alio agente. Dices, facere eandem unionem, quam prius natura fecit Deus, secundum novam dependentiam vel actionem. Sed hoc vanum est et absurdum; praeter naturas enim rerum est, iterum agere quod actum supponitur. Alias cur non ageret naturaliter quaelibet res ad se ipsam efficiendam vel conservandam? Item saltem esset superflua efficientia naturalium causarum, si nullas res novas agerent, sed solum novas dependentias earundem rerum, quas Deus se solo jam effecerat.

12. Quinto, objici potest argumentum supra tractatum de actibus liberis; nam, si omnis forma, vel qualitas creata prius natura creatur a solo Deo, quam a causa secunda, ergo, cum actus liberi voluntatis sint qualitates creatae, prius natura fient a solo Deo, quam a voluntate; ergo, quod talis actus, seu qualitas simpliciter fiat, non est liberum voluntati humanae, quia non pendet ab illa in suo fieri simpliciter; ergo intelligi, vel explicari non potest, in quo consistat libertas talis actus. Nam quod Deus illum in me creet, non

est mihi liberum, quia non pendet ex me, neque immediate, neque ratione alicujus prioris dispositionis. Nam de illa redibit eadem quaestio. Supposito autem, quod Deus in me creet talem actum, non est mihi liberum non influere, ut supra argumentabamur. Denique hoc inconveniens adhuc majus est in actibus intrinsece malis, nam, praeter omnia supra dicta, sequitur, ante omnem efficientiam voluntatis creatae, Deum se solo creare in illa hujusmodi actus pravos, quoad omnem positivam entitatem eorum. Unde ulterius fit, Deum sola sua efficacia determinare voluntatem hominis ad objecta prava istorum actuum, prius natura quam ipsa se determinet. Quia posita in voluntate entitate talis actus, necessario manet determinata ad objectum malum per entitatem positivam sui actus; haec autem omnia sunt valde falsa et absurda; falsum ergo est dicere, de ratione formae ut sic creatae esse, ut prius natura fiat a solo Deo per creationem, seu dependentiam essentialem, quam ab agente creato. Quod si non convenit hoc omnibus formis creatis, ex hac praecisa ac generali ratione, neque etiam conveniet gratiae, neque alicui formae, quae natura sua pendeat a causa materiali in fieri et in esse, quia, ut ostensum est, nulla est in qualitate gratiae specialis ratio, quae hunc modum productionis requirat.

13. *Ad argumenta respondetur.* — Et per haec responsum est ad primum fundamentum illius sententiae. Ad secundum respondetur, falsam esse primam propositionem assumptam, scilicet in productione omnium formarum distinguendas esse duas actiones: unam, qua producatur forma, et alteram, qua uniatur; nam in omnibus formis, quae fiunt per educationem de potentia subjecti, falsum est. Quia cum non fiant sine concursu causae materialis, illamet actio, qua fiunt, pendet non solum ab agente, sed etiam a subjecto in genere causae materialis; non potest autem pendere a materia, nisi in ea insit, eique uniatur, quia causalitas materiae non est, nisi per unionem et sustentationem formae, vel actionis, quae ab ea causatur; et ideo illamet actio et tendit ad formam, et unit illam subjecto, quia non facit illam, nisi in subjecto, et ex subjecto. Quinimo ex hac ratione colligo primo, non posse formam fieri ab agente naturali modo ac virtute naturali, nisi eadem actione, qua fit, uniatur subjecto, quia non potest fieri, nisi per educationem de potentia subjecti. Ergo nec potest

fieri nisi per actionem, quae in subjecto inherereat, et a subjecto pendeat; sed per talem actionem necessario simul fit forma, et unitur subjecto, quia actio inherens subjecto, ut sic, non facit nisi formam inherentem seu informantem subjectum, et hoc est facere unionem, seu formam unitam subjecto, et hoc sensu dixit Arist. per calefactionem non fieri per se primo calorem, sed calidum. Atque eadem est ratio de sacramentis, quatenus esse possunt instrumenta ad efficiendam gratiam. Nam licet ille modus agendi sit supernaturalis ex parte principii activi, tamen ex parte subjecti concurrentis in genere causae materialis, et ex parte ipsius gratiae talis est, qualis juxta naturam ipsius qualitatis esse debet, quia per illum non fit gratia per se, et independentem a subjecto, hoc enim esset novum et speciale miraculum; sed fit in subjecto et dependenter ab illo.

14. *Forma pendens a subjecto, non potest effective uniri, quin ab eodem agente eadem actione fiat.* — Secundo infero, non posse formam, quae ex natura sua pendet a subjecto in suo esse, uniri effective subjecto ab aliquo agente, nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente; atque adeo non posse elevari sacramenta ad uniendam gratiam animae, quin simul eleventur ad efficiendam ipsam gratiam. Ratio patet ex dictis, quia per actionem illam ita unitur forma, seu gratia subjecto suo, ut ab illo pendeat in suo esse; ergo eadem actione, qua unitur, recipit suum esse. Dices: quanquam hoc sit verum, considerato modo connaturali productioni talis formae, non tamen repugnare, Deum se solo prius producere gratiam, deinde vero unire illam per sacramenta. Respondetur primum, hoc non posse fieri sine speciali miraculo, nimirum quod forma, natura sua dependens a subjecto, fiat sine dependentia ab illo. Deinde adhuc posito illo miraculo necessarium esset, ut actio uniens talem formam cum subjecto, attingeret entitatem ipsam seu existentiam talis formae; in quo est differentia inter hujusmodi formam et animam rationalem, quod anima, quae prius natura creatur, quam uniatur, per solam actionem creativam recipit esse, per actionem vero unitivam solum recipit unionem et informationem, ita ut illa actio non attingat ipsum esse, seu existentiam animae; at vero gratia, et quaelibet alia forma pendens a subjecto, etiam si fingamus, miraculose prius creari independentem a subjecto, tamen, cum

subjecto unitur, necesse est ut hoc fiat per actionem et efficientiam, quæ non solam unionem, sed etiam entitatem, seu existentiam formæ attingat. Et ratio differentiæ est, quia omnis forma debet necessario informare subjectum modo sibi connaturali; neque in hoc potest recipere varietatem, quia informatio est actus intrinsecus et formalis, qui nec suppleri, nec variari potest, si forma est in se ejusdem rationis; anima ergo, quia ex natura sua est forma independens, ex se habet talem modum informandi, ut ratione illius non sustentetur a materia in suo esse, sed solum uniatur illi ad componendum unum totum; at vero gratia, et omnis alia forma, quæ natura sua pendet a subjecto, quod informat, ex natura sua etiam postulat talem informandi modum, quo inhæreat subjecto, seu ab illo sustentetur in suo esse, et ideo necesse est, ut agens, quod attingit hujusmodi modum unionis, attingat etiam ipsum esse talis formæ. Quapropter, si illa forma prius facta supponitur a Deo per creationem, necessarium erit, ut vel prius tempore creetur et postea uniatur, vel ut in eodem instanti recipiat esse per duas actiones, scilicet per creationem, et per educationem de potentia subjecti; quod quidem non videtur implicare contradictionem, quamvis fieri non possit sine speciali miraculo, non solum propter pluralitatem actionum totalium, seu per se ac sigillatim sufficientium ad dandum esse tali formæ, sed etiam quia actio creativa semper est præter modum connaturalem, quem talis forma postulat.

15. *Actualis unio est de essentia actionis, qua educitur forma de potentia subjecti.* — Tertio sequitur, quod in actione educitiva formæ de potentia subjecti, non solum aptitudinalis, sed etiam actualis unio et inhærentia illius actionis in subjecto, est de essentia seu necessitate talis actionis, quia illa actio natura sua talis est, ut essentialiter pendeat a causa agente, et materiali, in quo differt essentialiter a creatione; non potest autem pendere a causa materiali, nisi illi inhæreat. Et confirmatur, nam ob hanc causam calefactio, quæ fit ab igne, v. gr. in ligno, non potest conservari omnino extra subjectum, quia hoc ipso, quod extra subjectum fieret, jam esset creatio, seu per modum creationis. Dices: in calore, qui fit ab igne, unio ad subjectum non est de essentia caloris; ergo in calefactione, per quam naturaliter fit calor ab igne, actualis inhærentia in

subjecto non est de essentia talis calefactionis. Respondetur negando consequentiam, quia calor non dicit dependentiam, sed formam dependentem; tamen calefactio dicit ipsam dependentiam caloris ab agente naturali (de hac enim calefactione loquimur); hujusmodi autem dependentia ex sua intrinseca et specifica ratione includit actualem habitudinem ad duplicem causam, agentem et materialem. Et ideo sicut de essentia illius est, quod actu pendeat a tali causa agente, ita etiam quod actu pendeat a tali causa materiali. Unde etiam fit, ut illa dependentia tam essentialiter sit passio, quam actio. Quæ duo sola ratione in ea distinguuntur. Et hinc tandem patet responsio ad primam probationem contrariæ sententiæ, quomodo scilicet, quamvis gratia et inhærentia ejus ad subjectum ex natura rei distinguantur, nihilominus unica actione simul natura fiant, quia videlicet illa duo, gratia et unio, per modum unius fiunt cum ipso composito, quod per se primo fit, scilicet homo gratus. Quare, licet possint inter se comparari illa duo secundum aliquem ordinem causalitatis, tamen in ordine ad agens, quod educit formam de potentia subjecti, simul ac per modum unius fiunt et unica actione. Quæ cum essentialiter sit mutatio subjecti, simul facit formam, et unit illam, seu introducit in subjecto.

16. *Emanatio a Deo per modum creationis non præcedit ordine naturæ in omni forma ante actionem causæ secundæ.* — Superest ut respondeamus ad aliam probationem de dependentia essentiali creaturæ a Deo. Ad quam primo responderi poterit: esto concedamus in omni forma creata essentialiter includi dependentiam, et emanationem a Deo per modum creationis, non tamen est necessarium intelligere hanc emanationem ut priorem natura, quam sit emanatio formæ creatæ a causa secunda principali, vel instrumentali. Hoc enim potissimum videntur probare omnes rationes supra factæ in tertio argumentandi modo, scilicet, quod emanatio a Deo per modum creationis non præcedat ordine naturæ in omni forma, ante actionem causæ secundæ. Et hoc satis est, ut nec in effectione gratiæ sit necessarium dicere prius natura antecedere creationem ejus. Et hoc sufficit, ut si sacramenta efficiant unionem gratiæ, necessario efficere debeant gratiam ipsam, quia cum non possint unire, nisi rem existentem, si non supponunt factam, necesse est, ut uniendo efficiant. Dices, fieri posse,

ut solum concomitanter se habeant effectio gratiæ a solo Deo facta, et unio per sacramenta effecta. Respondetur: si sacramenta præcise attingerent unionem, et non existentiam ipsius gratiæ, necessarium esset, ut saltem ordine naturæ antecederet creatio gratiæ, quia existentia formæ supponitur unioni, quando per unionem non fit. Et hac ratione in productione hominis creatio animæ ordine naturæ antecedit unionem ejus, quia actio, qua fit unio, non attingit existentiam animæ, sed præcise unionem. Si autem concedatur, quod sacramenta non solum efficiunt unionem, sed etiam ipsam gratiam, hoc satis est ad id, quod in præsentis quæstione intendimus. Alia vero quæstio erit, an præter hanc efficientiam sit alia essentialiter inclusa in ipsa entitate gratiæ propter dependentiam essentialem, quam habet a Deo, quatenus forma creata est, non antecedens ordine naturæ aliam efficientiam, sed concomitans, vel potius natura posterior, eo modo, quo terminus est posterior natura quam actio, vel fieri ejus. Quæ quæstio ad præsentem disputationem nihil fere refert, cum generale sit omnibus formis creatis, et in omnibus efficientiis causarum secundarum locum habeat.

17. *Neque etiam includitur in omnibus formis creatis talis dependentia a Deo.* — Ut autem breviter veram responsionem difficultatis positæ tradamus, respondendum secundo est, falsum esse, in omnibus formis creatis includi aliquam dependentiam essentialem a Deo, quæ sit vera emanatio, et effectio causæ efficientis omnino invariabilis, et ipsam rei essentiam intrinsece constituat. Primo quidem, quia licet non ponatur hæc dependentia prior natura, quam effectio causæ secundæ, tamen necessario dicendum erit, per illam fieri totum id, quod per actionem creaturæ, et consequenter omnem formam, quæ fit per actionem causæ secundæ, necessario bis fieri et manare a Deo, quoad suam entitatem et existentiam; nam primo manat a creatura per actionem ejus, et consequenter a Deo, ut concurrente cum creatura, quia non potest actio creaturæ esse sine concursu Dei, a quo pendet essentialiter non solum effectus creaturæ, sed etiam ipsamet actio creaturæ; et secundo dicitur iterum manare a solo Deo per dependentiam essentialem, quæ dicitur esse vera creatio. Quinimo rursus sequitur, non solam entitatem gratiæ, vel cujusvis formæ hoc modo bis fieri, sed etiam ipsamet unionem

talis formæ cum subjecto bis etiam fieri: semel a causa secunda et Deo concurrente, et iterum a solo Deo per dependentiam essentialem; nam, ut supra argumentabar, cum hæc unio sit modus creatus distinctus ab actione creaturæ, qui potest esse sine illa, etiam in sua essentia includet aliquam dependentiam a Deo invariabilem, sine qua esse non possit. Rursus, cum effectio hujus unionis talis sit, ut non solum attingat modum unionis, sed etiam entitatem ipsius formæ, quia per illam pendet in esse a suo subjecto, ut supra dicebam; cum hoc (inquam) ita sit, sequitur ulterius omnem hujusmodi formam creatam, quandocumque fit a causa secunda, tribus modis emanare a Deo. Primo, quatenus fit a creatura cum concursu Dei. Secundo, quatenus fit per dependentiam essentialem hujus formæ, ut unitæ, quomodo conservatur a solo Deo, cessante actione creaturæ. Tertio, per dependentiam essentialem ipsius formæ secundum se, quæ est distincta a præcedentibus, quia potest manere sine illis, ut si forma a subjecto separata conservetur, et ideo est per modum creationis, et independens a subjecto, quod non habent duæ alie dependentiæ, et ideo non dicuntur esse essentielles ipsi formæ secundum se et absolute sumptæ. Sed hoc modo sola hæc tertia est essentialis, secunda vero erit essentialis unioni, prima vero accidentaliter utriusque. At superfluum est, admittere tot modos effectionum, seu productionum ejusdem rei simul concurrentium, cum unusquisque eorum per se sufficeret ad effectum producendum, neque apud ullum auctorem gravem hujusmodi doctrina reperietur. Neque etiam quod omnis forma materialis, dum educitur, simul creatur, simulque educatur a causa secunda simul cum concursu Dei, et alio modo per se sufficiente fiat a solo Deo. Secundo, hoc idem probatur alio modo, quia causa secunda, dum calefacit, v. gr., simpliciter educit de non esse ad esse totam entitatem caloris; ergo si in hac entitate caloris essentialiter includitur creatio per dependentiam essentialem a Deo, sequitur, hanc ipsam creationem fieri ab igne producente calorem, quia non potest ignis facere calorem, quin faciat quicquid est de essentia caloris, quia calor est entitas simplex, quæ, cum fit, educitur de non esse ad esse, virtute et efficacia illius agentis, a quo fit. Ergo totum id, quod est essenziale calori, fit ab eodem agente. Hoc autem esse valde absurdum dupliciter declaratur. Primo, quia